Zur

öffentlichen Prüfung der Domschule

welche

am Montag den 6. April von 8 bis 1 Uhr

mit der fünften, vierten und zweiten Classe,

sodann

am Dienstag den 7. April

mit der dritten und ersten Classe

in den benannten Stunden,

und zwar

im grössern Hörsaale der Domschule

wird angestellt werden,

so wie zu den am Mittewochen den 15. April Vormittags bald nach 10 Uhr

auf dem Rathhaussaale

zu haltenden

Redeübungen,

ladet alle verehrte hohe Behörden unserer Stadt und die übrigen

Freunde und Gönner unserer Schule

ehrerbietig und geziemend ein

G. F. Schumacher,

Professor u. Rector der Domschule.

Vorher:

Ex interpretatione familiari Antigonae

pauca proponit

Guil. Olshausen,

Conrector [illegible]

Gedruckt im [illegible] Taubstummen-Institut in Schleswig.

Ex interpretatione familiari Antigonae.

Hoc titulo qui libellum inscribit a se edendum, neque arrogantiae crimen facile effugiet, parum reveritus magni viri vestigia, et invidiosam subibit comparationis molem. Vidi tamen unum et alterum, hoc genus scriptionis, cuius exemplum monstravit F. A. Wolfius, imitatum esse in libris scholasticis, quibus proprie accommodatum esse videtur. Est autem in eo hoc genus positum, ut quo modo consueris coram discipulis loqui, ita scribas, ne resectis quidem quae de trivio videantur esse, fucata vero eruditionis specie addita nulla. Atque hanc quidem rationem quid sit, quod ludorum magistris admodum commendabilem habeam, neminem fugiet. Libellorum nostrorum lectores, qui pauci sunt, quum nundinarum Lipsiensium lucem plerique subterfugiamus, nihil magis cognoscere cupiunt, quam ingenium scholarum nostrarum, quoniam nos quoque in probatione discipulorum nostrorum simul cognoscimur et dicentes publice et scribentes ex instituto utilissimo. Jam quum Antigona, fabula nobilissima, his sex mensibus *) classicos scholae nostrae discipulos exercuerit, de eius locis difficilioribus non nulla libet praefari.

In ipso operis suavissimi limine invitus retinetur lector difficultatibus, si Bothio credimus, desperatis. Is enim versibus 2 et 4 asteriscos allevit. Atque cum quot capita, tot fere sint de his locis sententiae, ut, quod reiicit alter, acriter ut fit alter defendat, de vera scriptura vix videtur sperari posse ut aliquando inter doctos conveniat. Ego tamen versu secundo, qua par est modestia in summorum virorum dissensu, non

*) Ipse latinitatis academicae deprecator scribit *hoc semestri*, quod equidem praestare nolim.

possum quin unice commendem Hermanni rationem, quamvis ab ipso et derelictam et secus expositam, ut scribatur:

ἆρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν
ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ;

Alterius lectionis ὅ τι propugnator est Seidlerus, quem nunc sequitur Hermannus, viri doctrina et auctoritate praecellentes. Hos utcunque potero refutabo, meam opinionem defendam. Bothii ἆρ' οἶσθά τι, et Thierschii ἔσθ' ὅ τι non facile aliorum, quam ipsorum auctorum assensum latura esse suspicor.

Seidleri igitur ratio eo se commendat, quod veterem tuetur scripturam a Scholiis agnitam: εἶπε διττῶς· πρῶτον μὲν ὅ τι, ἔπειτα δὲ ὁποῖον, ἀρχοῦντος θατέρου. Exigua tamen vel nulla scripturae diversitas; in explicatione omnia sunt posita. Jam quod ait Seidlerus, ubi cum vi quadam interrogetur, Graecos non raro et in recta et in obliqua oratione binas ponere voces interrogativas sine copula, non puto ab omni parte vera esse. Quod enim Homericum illud τίς πόθεν ἔσσι; et similia cum vi quadam vult pronuntiata esse, quaenam haec sit vis memet nescire fateor. Rectius opinor praecipietur et Graecos et Latinos solere duas diversas interrogationes sine copula in unam coniungere, duo tamen ut interrogentur. Ramsh. Gr. lat. p. 504. Ita Hermannus quoque. At nostro loco non interrogantur diversa, sed idem dupliciter; licet hoc in Hermanni interpretatione aliter cuipiam videatur. Qui cum verterit: quid non perficiens, quo non perficit modo? vel nihil non mali nullo non modo perficit, aliquid sane discriminis posuit; sed solvenda oratio erat, quid non perficiens quale non perficit, quod est insubide dictum. In eo igitur quae Seidlerus protulit exempla ad sententiam suam confirmandam minus accommodata videntur; vel enim diversa interrogantur in eis, vel admirationis vocula interrogationi praemittitur, quod natura sua in recta tantum oratione locum habere potest, ut in formula Platonica πῶς τί τοῦτο; Ceterum vide, ne Latini saepius in obliqua, in recta oratione Graeci duas coniungant interrogationes.

Jam vero ut ad eam scripturam perveniam, quam ipse probo, ita struendum esse locum arbitror: O carum sororis caput, scisne Jovem eorum, quae ab Oedipo nobis imminent, malorum *quid non* i. e. *unumquodque* nobis vivis perficere? Est igitur hic locus ex eo genere, in utraque lingua usitatissimo, quo totae formulae unius vocis locum obtinere videntur, ut οὐκ ἔστιν ὅπως, ἔσθ' ὅτε, mirum quantum, nescio quis; quam rationem nemini quidem ignotam nuper tetigit Krügerus in libro bonae frugis de attractionis usu *) p. 469 ss. Eadem interrogationis interiectae formula video Hermannum libenter uti: in Dissert. de epitritis Doriis contra Boeckhium p. 10. „At, inquit Boeckhius, et quis non? obstat quod non solum Plato“ rell. De

*) Per meliorem eius idiomatis notitiam multae removebuntur criticorum παραδιορθώσεις in scriptt. vett. Pag. 223. moneri poterat de Eurip. Med. vs. 12. ἁνδάνουσα μὲν φυγῇ πολιτῶν ὧν ἀφίκετο χθόνα, ubi Hermannus quoque sinceram censet vulgatam, sed χθόνα positum dicit pro χθονί, quod factum nollem.

Aeschyli Philoct. p. 6. „Attii fragmentum suadet, ut aliquem Deorum et quem potius quam Minervam? prologum egisse suspicemur." Alio tamen modo Hermannus ipse verba Sophoclea dicta esse volebat ad Vig. ed. 3. pag. 738 ut vel abundaret quodam modo ὅτι vel inceptam loquendi formam reliquisset scriptor, transissetque in interrogationem, ita fere: Nostine Jovem (perficere) — quale malum non perficiat? *) cf. Erf. in ed. min. Ex mea sententia quo modo oratio coepta erat strui, ita ad finem perducitur: ἆρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς τελεῖ, pro simplici accusativo autem πάντα τὰ ἀπ' Οἰδίπου κακά, nihil non malorum, interponitur ὁποῖον οὐ interrogando. Similiter per interpositionem dicitur Latine: nescin Jovem malorum mirum quantum in nos immittere? Quum enim plene dicatur: Mirum est, quantum — Juppiter immittat; ὁποῖον οὐχὶ — Ζεὺς τελεῖ, bene haec in aliam sententiam interponuntur.

De altero loco multo difficilior est quaestio. Quae enim modo tractavimus, utro modo statuatur, bonum praebent sensum, quod de proximis verbis vs. 4 et 5 non potest dici.

Οὐδὲν γὰρ οὔτ' ἀλγεινὸν, οὔτ' ἄτης ἄτερ,
οὔτ' αἰσχρὸν οὔτ' ἄτιμόν ἐσθ', ὁποῖον οὐ
τῶν σῶν τε κἀμῶν οὐκ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν.

Distinxi locum ex ratione vulgari, non ex Hermanni. Qui ad haec verba legenda accedit, eum credo primo adspectu loci iudicaturum esse cum Didymo: ἐν τούτοις τὸ ἄτης ἄτερ ἐναντίως συντέτακται τοῖς συμφραζομένοις· ἄτης ἄτερ γάρ ἐστι τὸ ἀγαθόν. Atque effecit hoc iudicium, ut spurium esse illud ἄτης ἄτερ plerique putarent et vel Brunckii coniecturam ἀτήριον, vel Coraii ἄγης ἄτερ, vel alia sequerentur. Nostra aetas id egit, ut explosae scripturae patrocinium in se reciperet: Seidlerus enim et Hermannus, viri summi, explicandae ei operam dederunt. Et Seidlerus videtur verum verborum suspectorum sensum assecutus esse: quum ἄτη infortunium, calamitatem h. l. significare non posset, culpam, noxam interpretatus est. Sed quo modo artificioso verba struxit, is mihi non videtur esse verus. Quum enim in hac compositione „nihil est neque triste, neque sine noxa, neque turpe, neque ignominiosum, quod non — viderim" offenderet virum acutissimum, quod inter tria reliqua verba istud sine noxa parum accommodate videretur interiectum esse, novam excogitavit rationem, qua non quatuor membra, sed vel duo vel tria sibi opponerentur. Sensum igitur hunc esse putat: οὐδὲν γὰρ οὔτ' ἀλγεινὸν, οὔτ' ἄτης ἄτερ ἢ αἰσχρὸν ἢ ἄτιμόν ἐστι, nihil enim nec triste, nec absque noxa vel turpe vel ignominiosum est, i. e. nec ulla immerita est vel turpitudo vel ignominia. In quo illud nemo negabit, in sententiis negativis posse οὔτε — οὔτε poni pro ἢ — ἢ quod apud Latinos quoque usitatum est; et praeterea, (si quem alium praeter Solgerum hoc pupugit, quod illud sive ἄτης sive ἄγης ἄτερ inter adiectiva positum est,) veri adverbii

*) Ita scribit in alio genere Beierus Off. II, 7. (Quid enim censemus superiorem illum Dionysium — quo cruciatu timoris angi solitum. Quid Alexandrum Pheraeum — quo animo vixisse arbitramur.) propter suspensam ut ait, interrogationem. Sed male divulsa videtur oratio.

vicem sustinet *ἄτης ἄτερ*. Mihi tamen, dicam quod sentio, displicet haec ratio. Ut enim ab eo ordiar, quod postremo loco posui, Seidlerum quidem non potuit offendere, quod *ἄτης ἄτερ* inter adiectiva legitur, quod genus loquendi, quamvis inconcinnum, optimos quosque scriptores frequentare videas. Quater vero repetitum *οὔτε*, iuxta se positum, quin vel eodem tenore sit struendum, vel bina habeat opposita, mihi persuaderi non patiar; tota enim huius loci periret perspicuitas et concinnitas. Mihi igitur ita videtur locus esse intelligendus: *nihil est neque triste, neque immeritum, neque turpe, neque ignominiosum,* quod nobis pepercerit. In hac sententia quid reprehendi possit et minus accurate dictum sit, in promtu positum est: cum et tristia quaeque et turpia et ignominiosa accidisse sibi immerito sentiat virgo, non debebat seorsum dicere fatum suum immeritum, alieno certe loco non interponere hanc querelam. Sed non arbitror propter hanc scriptoris culpam, sive aliqua est, sive nulla; quis enim animo commoto ad severam semper dialecticae legem loquitur? deserendam esse simplicissimam huius loci explicationem.

Sed tota sententia, quae communis mihi est cum Seidlero, defendenda est et contra alios reprehensores et contra Hermannum. Atque hic quidem, inique ut mihi videtur exagitato Reisigio, qui de *ἄτης ἄτερ* ad Oed. Col. pag. 239. ne verbo quidem agit, sed de repetita negatione in *ὁποῖον οὐ — οὐκ ὄπωπ' ἐγώ*, de Seidleri invento haec addit: „ad rationes grammaticas nihil est, quod in hac interpretatione reprehendi „possit, modo appareret, cur Antigona hic sine ulla idonea caussa delictorum a se et „sorore non commissorum, quam commissorum a parentibus et fratribus mentionem „facere maluerit.“ Quia de novis suis malis queritur; suorum enim acerbam fortunam suam censet virgo generosae indolis; nulla sua culpa haec accidisse mala ad animos vel audientium vel legentium commovendos perquam attinet. Hoc enim erat cogitandum, nulla ipsarum sororum culpa tantum in eas irruisse malorum. Nam Bothius putandus est Seidlerum non intellexisse, ita disputans: „at non simpliciter *ἄτη* „significat delictum, sed delictum fatale, quo quis admisso plectitur.“ His uberius demonstratis addit: „Seidlerum igitur si audiremus, calamitates istae, quas commemorat Antigona, esse dicerentur *ἄτερ ἄτης*, innoxiae seu damni expertes; quod ineptum. Neque ea coniectura multis *probata fuit*“ (sic). Diligentiore lectione dignus profecto Seidlerus et modestiore iudicio.

Hermannus ait non potuisse hunc locum explicabilem videri iis, qui hanc putavissent principalem constructionem esse, *οὐδέν ἐστιν, ὁποῖον οὐκ ὄπωπα*, primaria potius haec esse *οὐδὲν οὐκ ὄπωπα*, ut structura verborum ita ei videatur procedere: *οὐδὲν γὰρ οὔτ' ἀλγεινόν, οὔτ' ἄτης ἄτερ ἔσθ' ὁποῖον οὐ, οὐκ ὄπωπα* Quam interpretationem ut intelligo, ita nimis subtilem et ab hoc loco alienam arbitror; neque multis persuadebit vir summus aliam esse constructionem principalem, quam illam, ab ipso repudiatam.

Vss. 23 et 24. *Ἐτεοκλέα μὲν, ὡς λέγουσι, σὺν δίκῃ*
χρησθεὶς δικαίᾳ καὶ νόμῳ, κατὰ χθονὸς
ἔκρυψε —

Descripsi locum impeditum ex vulgari scriptura, quam vel comprobantes vel tacentes optimi quique interpretes ad Hermannum usque tuentur. Veterem secuti interpretem χρησθείς habent pro χρησάμενος, et participium adiectum explicant secundum illud ἄγγελλε δ' ὅρκῳ προστιθείς, nunc quidem notissimum, antea temerariis manibus tentatum, in hanc fere sententiam: Eteoclem quidem, ut aiunt, iure usus debito et lege, sepulcro condidit. Sed haec Latine quidem satis commode leguntur, Graeca vero summis difficultatibus laborant. Primum enim iste participii usus est admodum iniucundus, neque illi loco Electrae ab omni parte similis: participia in hoc genere sermonis abundantia, vel si mavis explicantia, vividius pingentia, *extremum oportet sententiarum locum occupare*, nec moleste tenorem orationis turbare. Exemplo sit Homericum Od. δ. 626. δίσκοισιν τέρποντο καὶ αἰγανέῃσιν ἱέντες. Soph. Oed. Col. vs. 475 Br. οἰὸς νεογνῆς νεοπόκῳ μαλλῷ (λαβών). Non potuit λαβών ullum alium in hac sententia locum tenere. Aliorum βαλών aliam videtur ferre explicationem. Quod Reisigius in hoc genere posuit Hom. Il. ο, 230 τῇ μάλ' ἐπισσείων φοβέειν ἥρωας Ἀχαιούς propterea huc non pertinet, quia ἐπισσείων et φοβέειν aeque commode cum dativo componuntur, ut, si quis cum Reisigio Heynium probare quam Wolfium maluerit in huius loci explicatione, nulla tamen exsistat participii ingrata interpositio. Nostro igitur loco ut ferri posset σὺν δίκῃ δικαίᾳ καὶ νόμῳ χρησθείς, ita quod legitur intolerabile est. Cf. vs. 691.

Non videtur Reisigius hoc sensisse, sed aliam ob causam nostrum locum participio molesto liberat. Perperam ait explicare nonnullos, χρησθείς participium, quasi σὺν δίκῃ et δικαίᾳ iungenda sint. Atqui planam locutionem atque gravem σὺν δίκῃ cur hoc additamento adauxerit (scriptor), caussam neque se reperire ullam, neque fore ut eruant alii. Hanc quidem affirmationem satius erat retinere, quis enim talia praestet? βροτοῖσιν οὐδέν ἐστ' ἀπώμοτον. Bothio certe, sic sunt iudicia hominum, δικαίᾳ δίκῃ videtur argute dictum *). Reisigius igitur ita suadet ut scribatur: Ἐτεοκλέα μέν, ὡς λέγουσι, σὺν δίκῃ, χρησθεὶς δικαίᾳ, καὶ νόμῳ — ἔκρυψε, quod itidem Hermannus se non intelligere fatetur. Hac formula acerbissimae reprehensionis nisi forte errorem aliquem graviorem Reisigii amice tegere voluit, qui tamen meam caecitatem fugit, quid voluerit, nescio, me vero parum decet facem praeferre viro acutissimo. Duas difficultates video Reisigium vitasse, moleste positum participium et compositionem δίκῃ δικαίᾳ, sed in maiores vereor ne inciderit. Quis feret membra discerpta σὺν δίκῃ — καὶ νόμῳ, quis idem verbum diversa forma repetitum δίκῃ — δικαίᾳ? quae forma epica quo defendatur, non video. Impedita est tota ratio.

Sed maior accedit difficultas: χρησθείς non videtur dici posse pro χρησάμενος. Quod quum pronuntiasset Triclinius (οἱ λέγοντες χρησθεὶς ἀντὶ τοῦ χρησάμενος ἀμαθεῖς) posteriores vel non probaverunt, vel neglexerunt; Hermannus vero assensus

---

*) Annotatio Bothii integra, qua nihil potest ineptius scribi, haec est: δικαίᾳ δίκῃ argute dictum, *quasi et sit ἄδικος, nec* (quasi nec?) δίκαια, iusta rogatus, scripserim cum Hermanno.

est et ipsius Triclinii interpretationem comprobavit his verbis: „Probo ego omnino Triclinium, qui χρησθεὶς a χρήζω derivans, παραγγελθεὶς interpretatur.“ Minus accurate locutus est vir summus, dicendum enim erat χρησθεὶς a χράω. (καὶ μὴ εἴπῃς ὅτι τὸ χρησθεὶς ἀντὶ τοῦ χρησμὸν δεξάμενος λέγεται. ὥσπερ γὰρ τὸ ἐθέσπισεν οὐ μόνον ἐπὶ θεοῦ, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ βασιλέως, οὕτω καὶ τοῦτο.) χρήζω vero idem esse quod χράω non volet Hermannus ipse, cf. eum ad Oed. Col. 1428. Interpretatio Tricliniana perduxit virum sagacissimum ad emendationem lenem, admodum mihi arridentem, δίκαια, quae hanc sententiam habet Hermanno interprete: Eteoclem, rogatus iusta, iusta et legitima sepultura honoravit. Sunt tamen in ista quoque explicatione, quae dubia videantur et minus placeant. Vere contendit Hermannus χρησθεὶς non dici pro χρησάμενος; sed ubinam legitur χρησθεὶς a χρήζω? Quod enim Triclinius habet, χρησθεὶς a χράω, usitatius quidem est, sed multo minus aptum ad exprimendam Hermanni cogitationem. Et Triclinius inficete omnem locum explicat. Eteoclem enim docet, quum ad pugnam processisset, praecepisse Creonti, ut se quidem sepeliret, non vero Polynicem, ubi cecidisset uterque. Provide sane Eteocles! Et mox: τὸν Ἐτεοκλέα μὲν ἔθαψε κατὰ τῆς χθονὸς σὺν δίκῃ δικαίᾳ, ὡς λέγουσιν, οἱ τὰ ἐκεῖνα (ἐκείνου?) φρονοῦντες δηλονότι — Qui ὡς λέγουσιν alia ratione dictum putet, quam φασὶν vs. 27, hodie arbitror inveniri neminem; sed velim scire, a quonam rogatum Creontem dicat Hermannus sepelivisse Eteoclem. A sororibus? Vix permittit quod adiectum est ὡς λέγουσιν. An a civibus? Idem opinor rogassent de Polynice, et multo *accommodatius erat, hanc sententiam quamvis rogatus iusta*, adiici vs. 28 de Polynice. Neque Creontis verba 194 ss. Hermanni sententiam commendant.

De hoc igitur loco nihil scio nisi me nihil scire.

Vss. 39 et 40. τί δ', ὦ ταλαῖφρον, εἰ τάδ' ἐν τούτοις, ἐγὼ
λύουσ' ἂν ἢ θάπτουσα προσθείμην πλέον;

Haec est omnium librorum scriptura, quam tamen in nostris editionibus emendatissimis frustra quaerimus. Videntur enim omnes critici subscripsisse Brunckii iudicio ad h. l.: „manifesta depravatio; nam quae inter duo verba oppositio debet „esse, (hanc non requiri necessario Erf. docuit in ed. mai.) nulla hic est, quum λύειν „τόν νόμον prorsus idem sit, quod θάπτειν. Mendam esse in alterutra voce, nemo „non videt.“ Longum est, omnes virorum doctorum opiniones et coniecturas de hoc loco recensere, cuius Martinum quoque taesum est; sed quod non possum tacere, alius lectionis vestigium deprehenditur in scholiis, in qua ipsa variatur quidem, (cf. Elmsleius), sed ἐφάπτουσα probabile est indicare veterem interpretem. Quo invento cum exsultasset Brunckius, et fidenter ut solebat eam unice veram esse scripturam pronuntiasset; Erfurdtius in ed. mai. alia secutus est, in minore vero ed. de scriptura assensus est Brunckio, reprehensa tamen prava eius interpretatione. Pari modo Hermannus, quod mireris, eadem comprobata scriptura neque Brunckium neque Erfurdtium censet veram sententiam invenisse. Quae igitur quaestio Brunckio profligata videbatur et ad exitum perducta, de ea adhuc anceps est iudicium. Equidem nolo

nunc multus esse in aliorum opinionibus refutandis, quas cum alii, tum Hermannus acutissime impugnavit; ipsius modo Hermanni rationem proponam et operam dabo ut librorum scripturam *λύουσα — θάπτουσα* contra eum defendam et explicem.

Veriorem huius loci explicationem eo arbitror esse impeditam, quod post veterem interpretem plerique omnes *λύουσα* de *lege* solvenda vel violanda intellexerunt, quod nullo modo fieri posse, nisi additum esset nomen illud, docuit Hermannus. „Illo nomine (legis), ita porro H., non adiecto non potest hoc verbum non ad ea „referri, de quibus sermo est. Id hic continetur verbis, *εἰ τάδ' ἐν τούτοις* i. e. in „praesente rerum statu. Hunc solvere, quid est aliud, pro Ismenae ingenio, quam „Creontem ad mitiorem sententiam adducere?" Jam cum *ἐφάπτειν* explicet accendere, et *ἢ* contendat non esse *vel*, sed *quam*, ita censet locum Latine interpretandum esse: *Quid, o temeraria, si res in hoc statu est, ego conferam solvens potius quam accendens?* quod ut planius faciam hoc fere significat: nihil egomet, si de Creonte adeundo fortasse cogitas, precibus meis effici posse credo, quin magis etiam irascatur et exacerbetur.

In hac interpretatione primum illud fateor me non videre, cur Hermannus cum simpliciter potuerit dicere, obiectum, quod dicunt, verborum *λύειν* et *ἐφάπτειν* ex sua ratione esse *τάδε*, obscurius maluerit significare contineri illud verbis, in praesente rerum statu. Deinde ut accuratam verbi *προςθέσθαι* explicationem non possum non probare, ita nunquam putavi futurum esse, qui *ἢ* hoc loco interpretaretur *potius quam.* Ego igitur de veritate scripturae vulgatae nondum desperans, cum non habeat *λύειν* notionem perfectam nisi addito accusativo, alio atque Hermannus modo hunc quaero. Cum enim duo verba eundem saepe accusativum regant, ut *diligo hominem et revereor,* neque ut repetatur nomen postulet perspicuitas: ubi alterutrum verbum certum aliquod nomen etiamsi non additum sit, pro notione sua flagitat, idem nomen consentaneum est coniunctum cogitari cum altero verbo. Jam quid sit obiectum verbi *θάπτουσα* cum nemo dubitare possit, idem nomen *τὸν νεκρὸν* ad *λύουσα* cogitandum esse censeo. Ita sententia loci erat haec: Quid vero, o temeraria, (parebo Hermanno *ταλαίφρων* interpretanti, quamvis dissentiens cf. versus 858 et 869 Herm.) si res in hoc statu est, egomet conferam ad (fratrem nostrum) liberandum (hac conditione misera) et sepeliendum? Video quid contra dici possit ex comparatione eorum quae Hermannus monuit adversus Erfurdtii scripturam in ed. mai. *λούουσ' ἂν ἢ θάπτουσα*, tantum abesse, ut in mentem venerit Ismenae, hoc quemquam audere posse, ut vs. 44 miretur, Antigonam ea de re cogitare. Cum tamen Antigona satis perspicue significasset nunc esse tempus animum generosiorem monstrandi agendique in gratiam miseri fratris, non arbitror nimiae esse pro puellae indole tenella fortitudinis, quod respondet ad sepulturam fratri conciliandam se quidem quid agendum sit non videre. Neque mihi videtur vs. 44 hanc sententiam refutare, ubi Ismenae verba haec sunt: Tune ergo, (quod neminem putabam ausurum esse vs. 40) ipsa sepelies fratrem?

Vss. 110 ss. In prima chori stropha cum anapaesti non respondeant*) antistrophae, omnes adhuc critici iudicaverunt, in stropha esse aliquid omissum, ubi constructionem impeditam ὃν ἐφ' ἁμετέρᾳ γᾷ Πολυνείκης ἀρθεὶς — ὑπερέπτα Triclinius iam animadvertit. Alia secutus est Bothius, qui ex antistropha omissa ea voce, quae abesse posse videbatur, προςνισσομένους, monometros sustulit, et quinos utrobique nactus dimetros, sexto paroemiaco systemata finivit. Rationem metricam non facile merito vituperaveris, neque negaveris illud προςνισσομένους potuisse ex Scholiis irrepere in ipsius poetae verba; sed difficultatem strophae quo modo expedierit Bothius, videamus. Ὃν ὑπερέπτα ait positum esse pro ᾧ, σὺν ᾧ ὑπερέπτα, „*quem ad modum* „*accusativus nonnunquam usurpatur pro dativo, praesertim apud poetas.*" Jam ad hoc probandum excitantur loci diversissimi, in quibus, quis credat, Antigonae vs. 378 (Both.) πρὸς σοῦ τὰ δείν' ἐκεῖν' ἐπηπειλημένοι, nullus tamen, quod ultro quisque peritus credet, nostro loco similis. Ὃν ὑπερέπτα qui dictum esse putat pro σὺν ᾧ (φωτὶ s. στρατῷ), ei quid possit inexplicabile videri non intelligo.

Haec consideranti mihi alia ratione visum est defendi posse ὃν, quam intelligentium iudicio submitto, eaque quo clarius perspiciatur, totum locum animi causa Latine non nimis sollicite vertam: O solis lux, laetissima omnium priorum Thebis oborta! tandem ortus es, aureus diei oculus, supra Dircaeas undas adscendens, splendidum militem, Argis qui huc accessit instructissimus, festinanter fugientem abigens effusissimo cursu, quem (cursum i. e. quem ad modum, sive eadem celeritate qua) Polynices, iurgiis ancipitibus excitatus ut aquila acute stridens, in hanc terram involavit. Namque ὃν χαλινὸν iisdem habenis, quibus Polynices, non alio modo dictum est, quam ὃν τρόπον ὑπερέπτα, quae locutio neminem offenderet. Me male habet comparativus ὀξυτέρῳ qui non habet quo commode referatur, quod tamen in aliorum interpretationibus nihilo melius est.

vs. 263. (Both. 249)

Cum reliqua illius sive custodis sive nuncii narratio simplicissima sit et facilis intellectu, de uno isto versu diversissimum est virorum doctorum iudicium. Satis enim lepide picta custodum trepidatione, ubi cadaver sepultum animadverterunt, haec addit poeta:

εἷς γάρ τις ἦν ἕκαστος οὑξειργασμένος,
κοὐδεὶς ἐναργής, ἀλλ' ἔφευγε τὸ μὴ εἰδέναι.

---

*) Ita dicendum est, non *iis antistrophae.* Hoc genus loquendi inelegans vituperaverunt dudum cum alii, tum Wolfius et Heinrichius in analectis I. p. 488 et Zumptius in Gr. P. 767. Defendit Zumptium nuper Feldbauschius in diar. schol. a. 1828 nr. 59. contra Kayserum et Ramshornium, male locos quosdam speciosos explicantes. Sed quod addit Z. factum nollem, ubi flagitet perspicuitas repetendum esse nomen, vel *cum duritia* interdum; nulla enim est haec duritia. Ut si nos dedissemus *cum anapaesti non respondeant anapaestis antistrophae*, nihil inesset duri. Locus quem miramur est Varro V, 5. (Speng.) Caeli dicuntur loca supera et ea deorum; terrae loca infera et ea hominum.

Ubi quum molestus esset anapaestus in quinta sede, duplex in promtu erat remedium, ut vel articulus omitteretur, vel ἔφυγε scriberetur. Memorabile est Hermanni de hoc loco iudicium, qui dedit ἔφυγε, sed praeterea locum corruptum esse censet. Ad sententiam explicandam ita accingitur a contrario incipiens: „οὐκ ἔφυγον „τὸ μὴ εἰδέναι est, non devitavi quo minus scirem i. e. omnino scivi. Illud autem „ἔφυγον τὸ μὴ εἰδέναι est devitavi ut ne scirem i. e. contigit mihi nescire.“ Atque hanc locutionem, longum enim est iterare omnia, non censet aptam esse nostro loco, sed leni mutatione scribendum esse: ἀλλ' ἔφυγε τῷ μὴ εἰδέναι, cuius scripturae hunc esse sensum: unumquemque putabamus fecisse, nullum tamen manifesto, *sed effugit eo quod nesciebamus.* In quo verba Latina eo discrepant a Graecis, quod summi h. l. est momenti, quod Hermannus ab initio prima utitur persona. Ut enim verbum verbo referam, ita Latine hos versus convertam: unus enim quisque erat (sceleris) patrator, et nemo manifestus, sed effugit ignorando. Vim inferri contendo huic loco, si aliud subiectum, quod vocant grammatici, tribuitur verbo εἰδέναι, atque ἔφυγεν. Tum vero tota Hermanni sententia, qua omnis res profligatur, mihi quidem videtur a narratione custodis aliena; pergit nuncius in describendis custodum molitionibus et sollicitudine, de eventu rei est demum vs. 268. Ego igitur hanc arbitror esse sententiam: unus enim quisque (ex ceterorum vel opinione vel invidiosa accusatione) rem dicebatur perfecisse; nemo manifestus; sed operam dedit, ne rem scire videretur, l. sese scire sedulo dissimulavit. *Universam sententiam esse aptissimam*, docet loci natura. Ex interpretatione nostra imperfectum ἔφευγε, quod omnes libri offerunt, aoristo accommodatius est ad studium hominum vivide repraesentandum; ἔφυγε propius est Hermanniano illi *contigit iis nescire*, qua ratione voluntatis notio, quam minime negligendam esse puto, detrahitur. Ἔφευγε significat *id egit, ut ne* —; vitavit ne —; dissimulavit. Quod ἔφευγε non habet subiectum οὐδείς, sed εἷς τις l. πᾶς τις, non est quod moneam communi usu factum esse. Sed non est omnino nova nostra explicatio: similem sensum Erf. in ed. min. videtur sibi deprehendere in scriptura Porsoniana ἔφυγε (τὸ μὴ εἰδέναι), quam ait plusquamperfecti vim habere: „amoliens a se accusationem scire sese negaverat.“ Qua tamen ratione quo commode referatur plusquamperfectum, non video.

vs. 321.

De loco vexatissimo ut plura non dicam, Hermannianae scripturae, quam non possum non probare, οὔκουν τό γ' ἔργον τοῦτο ποιήσας ποτέ, significationem non videtur mihi Hermannus recte proposuisse. „Non sum loquax, certe non qui hoc perpetraverim facinus.“ Metuere enim custodem, ne suspicionem a se avertere velle multa loquendo videatur. Mihi ita videntur haec verba explicanda esse: „Utut hoc sit, sive loquax tibi dicar, sive non, hoc saltem facinus non commisi.“ Parum scilicet curat, quo se nomine rex vocet, modo sepulturae crimine liberetur.

Sed satis videmur prolusisse. Jam rerum scholasticarum, quas civibus nostris impense commendamus, ratio est reddenda.